



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Antipharmacum ex Beza lib. de Repudiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40295**

matrimonium, si coniunx lepra vel alio mōrbo incurabili laborans, consentiat, & ad nouas nuptias transeundi potestatem faciat. Respondeo, affirmare Lutherum in consilio de hoc ipso casu; quod exstat Tomo primo Nouorum operum ab Aurifabro editorum fol. 415. b. vbi cuidam, cuius vxor in lepram inciderat, amplissimā facit alterius coniugij ineundi potestatem eō quod leprosa vxor ab omni obligatione coniugali eum immūnem pronunciasset. Sic dispensarunt Prædicantes ut aliam vxorem duceret quidam, cuius prior vxor in *luem Gallicam* inciderat; ut videre est apud Sarcerium lib. de matrim. fol. 230:

Si dicas hæc, quæ scripsit Lutherus Anno 1527. in Vigilia S. Bartholomæi, non satis consonare, cum illis; quæ in sermone de Matrimonio Anno salutis 1522, & in alio sermone de matrimonio Anno 1525. (qui exstat Tomo primo Nouorum operum) vbi contrarium statuit; effutuerat, id tibi mirum accidere non debet; quia Luthero ad omnem auram tam familiare fuit mōueri & mutari, quam æneis gallis gallinaceis, quæ in acroteriis seu verticibus turriū collocari solent. Sarcerius lib. de Matrimonio fol. 198. b. adhuc liberalior est, quia etiam sine consensu infectæ partis partem sanam ad aliud coniugium conuolare permittit. Et mentitur, hoc esse consentaneum Cæsareis legibus.

### *Antipharmacum ex Beza lib. de Repudiis.*

*Quod adferunt de agrotantis consensu, alibi dixi, cur nullo modo videatur admittendum, quoniam videlicet proprietas sine plenum dominium corporis ad coniugem non tran-*

Dd 2 sit in

fit in contractu matrimonij, sed usus duntaxat personam ipsam non egrediens, ideoque coniuges ius quod alter in alterum habet transferre nullo modo possunt.

Breuius & rectius dixisset Beza, hoc fieri non posse, quod matrimonii consummatum, quoad vinculum, non nisi per mortem dissoluatur. Hæc est vnica huius matrimonii dissoluendi ratio.

*Generale antipharmacum ex Beza contra omnnes supra memoratas Lutheri & aliorum coniugales labes.*

ITA ergo Beza, respondens ad quæstionem, an propter lepram fieri possit diuortium virti & vxoris. Profite-  
Epi. 10. qm. p. 1. p. 215.  
Matth. 19. mur nos nullas alias iusti diuortij caussas agnoscere, quam  
quæ sunt verbo Dei expressæ. (At nullæ expressæ sunt, qui-  
bus indicetur, matrimonium consummatum, quoad  
vinculum, solui posse, viuente utroque coniuge) stat e-  
nim illud Domini dictum: Quod Deus coniunxit, homo non  
separat. Homo autem tum separare videtur, cum absque Dei  
verbo diuortium concedit.

Fundamenta vero, quibus contraria sententia nititur, plau-  
nè sunt infirma, ut nobis quidem videtur. Nam, quod affe-  
runt, Euangelio non tolli, sed stabiliri leges politicas, sic intel-  
ligendū esse constat, ut conscientia nō ledatur. Liceat ergo Ma-  
gistratib. de mere ciuib. cōtractib. leges ferre: Matrimonium  
autē, partim politicū, partim diuinum esse dicimus illis verbis  
freti: quod Deus coiūxit. Id quod etiā ex eo manifestè liquet,  
quod in aliis contractib. locus est dissolutioni ex sola cōtrahentiū  
volūtate: in matrimonio vero nunquā id iure licuit, sicut Do-  
minus Pharisæus respondit, & honestas ipsa docet. Quorsum  
enim